



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **CONSTAT CATHEDRALE** CATHEDRALE TEMPLUM  
MAGNOVARADINENSE LATINORUM B. V. MARIAE  
IN CAELUM ASSUMPTAE DICATUM TITULO BASILICAES MINORIS INSIGNITUR Constat cathedralē templū  
dioecesis Magnovaradinensis Latinorum, quod est Beatae Mariae Virgini in caelum Assumptae dicatum, tum vetustate et  
artificiosa structura «baroca» nuncupata, tum rerum memoria eminere. Neque ignoramus octingentesimam  
canonizationis Sancti Stanislai Regis anniversariam memoriam ibi proximo II Februarii die celebratum iri, qua etiam de  
causa existimamus id templum dignum esse, quod aliqua vel maiore honestetur laude. Venerabilis ipse Frater Iosephus  
Tempfli, Episcopus Magnovaradinensis Latinorum, sua quidem suique cleri ac populi expromens vota, poposcit a Sancta  
Sede, ut titulo ac dignitate Basilicae Minoris id templum exornaretur. Re igitur probe considerata, cum de eadem iam  
Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum viderit ob facultates a Nobis factas, nunc Ipsi Nos, qui  
eiusmodi Congregationis sententiam ratam facimus, vi et potestate Nostra Apostolica per has Litteras perpetuumque in  
modum templum quod diximus B. V. Mariae in caelum Assumptae dicatum titulo et gradu Basilicae Minoris insignimus,  
omnibus iuribus et liturgicis privilegiis traditis talis Basilicarum ordinis propriis, iis vero servatis, quae per Decretum «de  
titulo Basilicae Minoris» sunt anno MCMLXXXIX statuta, die IX mensis Novembbris. Has Litteras Nostras Apostolicas nunc  
et in posterum religiose servatas exerceri volumus suosque habere effectus, contrariis quibuslibet non  
obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die decimo sexto mensis Decembbris, anno  
MCMXCI, Pontificatus Nostri quarto decimo.* ANGELUS card. SODANO  
Secretaries Status © Copyright 1991 - Libreria Editrice Vaticana

---